

nescio, inquit, *Deus scit* (II Cor. XII, 3). Dignum quippe erat, ut qui fideliter pascerebat, fideliter pascere-tur: et qui foris gaudebat in bonis dominicæ fami-liæ, in gaudium Domini sui juberetur intrare, atque repleretur in bonis domus Dei, non solum istius vi-sibilis, pro qua sudabat, sed etiam illius invisibilis, ad quam spirabat, unde et dies ei aspirabat.

6. Nec minima de beato Petro sentienda puto, cum maxima sit gloria Pauli, illius coæquari meritis, quem iudicium Veritatis potestate et primatu præ-tulit universis. Cum enim Pater qui est in cœlis ve-ritatem Unigeniti Petro revelabat (Matth. XVI, 2-6), quid aliud quam dies ei æternus aspirabat, et dies diei verbum eructabat? Cui autem magis pervium fuisse cœlum credendum est, quam ipsi Janitori, cujus lingua clavis cœli facta est? Qui potestatem habebat claudere cœlum nubibus, et aperire portas ejus, quomodo ipso non sæpius intrasse credetur? Esuriit aliquando **1026** Petrus, et cœlum ei aper-tum est, cum adhuc in terra consisteret: tantaque ei inde ciborum copia missa est, ut adhuc multa supersint, licet plurima mactaverit, et manducaverit, immunda et virulenta animalia in sancta et florulen-ta convertens lilia (Act. X, 10-16); ut videlicet de-liciose pascere in liliis, donec aspirante die, glo-riose in ipsis pascere cœlis. Sed ecce dum com-mendamus vobis duo hæc ubera sponsæ, hora jam præterit, qua de ipsis uberibus lac vobis cupieba-mus immulgere: quanquam et aliis diebus hoc ip-sum facere possimus et soleamus. De uberibus si-quidem Apostolorum lac vobis trahimus, quoties de verbis eorum ad ædificationem vestram tractamus. Nunc igitur pro tempore satis sit admonere, si tamen moneri indigetis, ut sicut ubera ista diligitis, ita lac eorum semper concupiscatis; ut in eo crescatis in salutem, donec formatum in vobis exhibeatis Salva-torem Jesum Christum Dominum nostrum, qui vivit et regnat per omnia sæcula sæculorum. Amen.

SERMO III.

De eo quod scriptum est: « *Donec aspiret dies, et in-clinentur umbræ.* » (Cant. II, 17).

1. Erratis, fratres, in me; sed amore magis, ut arbitror, aut humilitate, quam temeritate. Putatis me Scripturarum scientiam habere, qui vix unquam attingi vel primum limen scientiæ. Displicet enim vobis, ut mihi videtur, quod capitulum Scripturæ, de quo heri sum locutus, non sum ad finem usque persecutus: quasi illa mihi sit facultas, ut valeam Scripturas explanare, aut etiam explanationes alio-rum digne et congrue ad memoriam revocare. Sed neque hoc mihi solet propositum esse ut Scri-pturam, unde sermonem ordior, exponam; sed ut de ipsa, et secundum ipsam sermonem de-bitum suo diei persolvam. Huc accedit quod ma-gister noster (10) ille interpres Spiritus sancti, de toto illo carmine nuptiali loqui instituit, spem-que nobis dedit ex eis quæ jam edidit, quia si

(10) S. Bernardum intelligit.

A pervenerit ad locum de quo quaeritis, *donec aspi-ret dies, et inclinentur umbræ*, umbras ipsas po-nat in lucem intelligentiæ: quod dictum est vel erit in tenebris, nobis dicet in lumine. Vos tamen dicitis, et recte dicitis, quia vetera novis superve-nientibus projicietis; quantoque magis incondita seu rancida fuerint vetera nostra, tanto nova illius sapidiora erunt et gratiora. Nam et ipse Jesus ser-vat vivum bonum usque ad extremum, sciens utique quomodo nostro sit fastidio medendum.

2. Quia igitur cogitis me (nam impatientes dilationis vos video), nec spes incerta futuri præsentis satisfactis desiderio; ecce vobis morem gero, finem-que versiculi, de quo heri loquebamur, suo, prout potero, reddam principio. Illud enim quaerere vide-mini, quid sit aspirante die spirituali umbras incli-nari; cum magis consequens videretur, ut non cre-scere, sed minui tunc et deficere, dicerentur. Nam si sequamur proprietatem verbi, hoc est umbris crescere, quod inclinari: cum umbrarum ea natura sit, ut quanto inclinantur, tanto procumbant lon-giores; quantoque surgent, tanto stent minores. Unde et poeta vesperum significans ait:

Majoresque cadunt altis de montibus umbræ.

(Virg. Buc. eclog. 1.)

Sed sciendum, quia cum hæc proprietas umbrarum sit corporalium, longe alia est spiritualium, de qui-bus non dubitamus hic loqui Spiritum sanctum. Nam sicut corporalibus umbris inclinari est crescere, sic spiritualibus hoc est inclinari, quod deponi, minui, vel deficere. Umbræ autem spirituales sunt umbrosi spiritus et tetri, seu dæmonum, seu homi-num: umbræ sunt tenebræ errorum: umbræ sunt obscuræ significationes veterum sacramentorum. Et umbræ quidem significationum jam inclinatæ sunt ad occasum et finem: umbræ autem errorum de die in diem inclinantur ad diminutionem: umbræ vero tenebrosorum spirituum tandem inclinabuntur in infernum et mortem. Primum quidem factum est, cum dies æternus aspiravit, apparens in carne: secundum quotidie fit, cum magis ac magis aspirat illustrans veritate: tertium novissime fiet, cum aspirabit rutilans in majestate.

3. Videre autem mihi videor et alias umbras in-tra nos, **1027** quæ velut in quodam speculo de re-bus aliis nascuntur in sensu nostro, et obumbrant nobis, vel obumbrant nos. Obumbrant nos quæ re-frigidant et obscurant nos: obumbrant nobis quæ refrigerant et illuminant nos. Istæ quidem noxiæ et graves, illæ delectabiles et salubres, istæ namque de inferioribus sunt et mundanis; illæ, de superio-ribus et divinis. Anima nempe humana in quodam medio condita et posita est, ut sub ipsa esset mun-dus, supra ipsam Deus. Supra ipsam, a quo et ad quem et propter quem facta est: sub ipsa, quod pro-pter ipsam factum est. Nam sicut propter animam cor-pus, sic propter corpus domus ejus, id est, mundus. Cum igitur incurvatur ad corporalia vel mundana, ascendunt in eam umbræ de inferioribus: cum eri-

gitur ad divina, inclinantur super eam umbræ de su-perioribus. Illius enim rei quam cogitat, umbram sibi format. Quanquam de divinis satis dubia umbra est, quantumcunque cogitationis evacuatur acies: aut certe non umbra ipsius rei, sed aliud pro illa est nisi cum aspirat dies ille. Nam tunc quoque non vi-detur, ut arbitror, nisi umbra, quæ etsi luminosa, etsi gloriosa est tamen umbra est; sicut cum in facie speculi tersa et lucida, splendidissimæ rei splendens imago resultat. Cæterum videre faciem veritatis ip-sius, vel veritatem faciei ejus, sicut nunquam erit hujus corporis: ita nec modo est hujus temporis, nec aliquando erit, donec corpus dissolvat mortalitatem, aut absolvet immortalitatem, et tempus absorbebit æterni-tas, et spiritum qui nunc gravatur corpore et muta-tur tempore, sublevabit ad se, et firmabit in se im-mortalis et immutabilis divinitas.

4. Initium hujus gratiæ, et perfectionem illius glo-riæ Paulus satis proprie distinguebat, cum dicebat: *Videmus nunc per speculum in ænigmate; tunc autem facie ad faciem* (I Cor. XIII, 12). Ut autem et hoc ipsum sit, scilicet ut videamus per speculum et in ænigmate, opus est non solum ut facies speculi nostri ab omni phantasmate et umbra corporalium tersa sit: sed etiam ut ille sublimis, habitans lucem inaccessibilem, dignetur ad nos inclinari, et vel per umbram suæ imaginis manifestari. Quantumcunque enim contendamus a visibilibus ad invisibilia, nihil nostra apprehendet humilitas, nisi condescendat illa maje-stas. Moyses ascendit in mortem, et Dominus incli-navit cœlos et descendit (Exod. XIX, 20). Et alius: *Exsurge inquit in occursum meum, et vide* (Psal. LVIII, 6). Ideo nec umbra videtur, nisi inclinetur; nec inclinari dicitur, nisi aspirante die: quia neque per speculum et in ænigmate possumus Deum videre nisi inclinante se majestate, et aspirante favore gra-tiæ. Sane hoc ipsum quod umbra vocatur compara-tione manifestæ veritatis, ineffabilis plerumque glo-riæ est et splendoris, in illis scilicet quorum est per lucidum speculum mentis. Cujus felicitis experientiæ Paulus sibi conscius, de se sibi que similibus loque-batur: *Nos vero omnes gloriam Domini speculantes in eadem imagine transformamur a claritate in claritatem tanquam a Domini Spiritu* (II Cor. III, 18). Sic enim in promissione dictum est: *Implebit splen-doribus animam tuam* (Isai. LVIII, 11). Ut autem claritates istas umbras esse noveris, audi David: *Dies mei, inquit, sicut umbra declinaverunt*. Trans-ibat quidem et ipse David de claritate in claritatem, tanquam de die in diem, Sed heu! tam breves et ob-scuros dies, tam longas et laboriosas noctes habet hiems ista, ut et propheta laborans in gemitu suo lavansque per singulas noctes lectum lacrymis, me-rito plangat: *Dies mei sicut umbra declinaverunt!* (Psal. CI, 12.) Prorsus melior est dies una in atris-tis super millia (Psal. LXXXIII, 11) dierum meorum quia dies mei sicut umbra quamvis lucida: dies illa una, lux vera et mera, sicut sine umbra, sic sine vespera; cum dies mess faciat plurimos et bre-

vissimos assidua longarum noctium interpolatio. 5. Cæterum, si quaeratur cur umbræ pluraliter dictæ sint, cum res ipsa, cujus umbræ sunt, una sit: ideo nimirum, quia nunc minus, nunc amplius nobis. Altissimi virtus obumbrat; nunc obscurius, nunc manifestius veritas sese nobis innotescens adumbrat; et sicut non æqualiter semper spirat, ita nec simili-ter semper nobis imagines format. Hoc et Apostolus innuit, qui transire se confitetur a claritate in clari-tatem (II Cor. III, 18), a minore scilicet in majorem: et propheta, qui non splendore sed splendoribus im-plemendam promittit fidelem animam (Isai. LVIII, 11). Sic Jacobus Deum memorat **1028** patrem lumi-num (Jacobi I, 17), cum lumen, cujus pater est, et unum sit et unicum. Quanquam sic possit intelli-gi pater luminum, quomodo pater misericordiarum.

6. Jam vero vos fratres, qui laboratis portantes pondus diei et æstus, vel secundum Isaiam, in spi-ritu vestro duro meditamini per diem æstus (Isa. XXVII, 8), ad umbras istas placet invitare quas ille dies serenus aspirans rorem misericordiæ cu-pit æstuantibus inclinare. Audite ipsum diem, ad umbrarum refrigeria clementer vos invitantem: *Venite ad me, omnes qui laboratis et onerati estis, et ego reficiam vos* (Matth. XI, 28). Servus enim sub sole laborans, ut ait Job, desiderat umbram (Job. VII, 2), in qua scilicet a labore recreetur ad laborem, vel per horam dimidiam, qua silentium fit in cœlo: quam cum obtinuerit indulgentia Prioris sui, gloria-tur et dicit, *Sub umbra illius, quem desiderabam, sedi*. In qua nimirum umbra, quia non sola sessio est ad quietem, sed etiam refectio ad satietatem, congrue subdit: *Et fructus ejus dulcis gutturi meo* (Cantic. II, 3) Sic enim dictum est per prophetam: *Convertentur sedentes in umbra ejus, vivent tritico et germinabant sicut vitis* (Osee XIV, 8). Servus seu mercenarius, quem sæpius hæc umbra recreaverit, longanimiter præstolabitur finem operis sui. Sic enim habes *Servus desiderat umbram, et mercena-rius præstolatur finem operis sui* (Job VII, 2). In umbra quidem non finis, sed pausatio. Finis enim erit operis remuneratio, cum evacuatis omnibus umbris, videbimus eum sicuti est: cui modo dici-mus, *In umbra tua vivemus inter gentes* (Thren. IV, 20), inter angelos nempe, non in umbra, sed in luce manifesta.

7. Hoc autem notandum, quod cum umbræ illæ de superioribus inclinantur supra nos, umbræ istæ de inferioribus inclinantur infra nos. Cum enim divinis propinquamus, mundana superamus: et qua-tenus vel ad umbram lucis accedimus, eatenus mor-tis umbram evadimus. Lux enim et vita in cœlo, mors in inferno: umbra autem mortis in hoc ter-reno et tenebroso loco. Cum igitur spiritus altius nos elevat inter terram et cœlum, non tangimur umbra terrenorum: et licet nondum plena luce fruamur cœlorum, tamen umbris illuminamur montium æternorum, vel certe montis illius umbrosi et con-densi, de quo venit Sanctus sanctorum. Mox tamen

pōdere nostro in regionem umbræ mortis revolvimur, tibi et diutissime sedere cogimur, donec visitatione orientis ex alto consolemur. Cogimur, inquam, et utinam cogamur, et non delectemur! utinam quod patimur, necessitatis tantum sit, non etiam voluntatis aut voluptatis! Sed heu! tam facile, tam libenter projicimus nos, et obdormiscimus sub gravi umbræ juniperi spinosæ et infructuosæ arboris, tam negligentes et securi torpescimus et immorimur curis et desideriis hujus mundi! Propterea Leviathan, qui sub umbra dormit, cubile sibi, nisi præcaveamus, ponit in nobis; quia videlicet amicas sibi umbras hujus sæculi invenit in sensibus et affectibus nostris. Istæ siquidem umbræ, teste Job, pro-

IN ASSUMPTIONE B. MARIE.

SERMO I.

Quod Maria duplici titulo sit mater, quodque recte dicatur thronus Dei.

I. *Veni, electa mea, et ponam in te thronum meum* (11). Multi vocati, pauci vero electi. Beati quos elegisti, Domine; habitabunt in atriis tuis (*Psal. LXIV, 5*): imo tu in eis habitabis, tu in eis regnabis, thronumque regni tui in eis collocabis. Sane omnium beatorum beatissima est Maria, quæ de numero omnium electorum singulariter est electa et præelecta: quoniam elegit eam Dominus, elegit eam in habitationem sibi, dicens, *Hic requies mea in sæculum sæculi; hic habitabo quoniam elegi eam* (*Psal. CXXXI, 14*). Habitavit in ea novem mensibus, habitavit **1029** cum ea et sub ea annis pluribus. Habitans in ea replebat eam singulari gratia charismatum: habitans cum ea pascebat eam incomparabili piorum suavitate morum, et divinorum desiderabili sapientia sermonum. Nunc autem in ea et cum ea, sicut interminabili ævo, sic incomprehensibili modo habitans, satiat eam beatificantium gloria visionum; foris quidem gloriificatæ carnis formam exhibens, intus autem formam Verbi glorificantis imprimens. O Maria, *non vocaberis*, ait Dominus, *ultra derelicta, et terra tua non vocabitur ultra desolata*, ut quia virgo, ideo sis infecunda: sed *vocaberis Voluntas mea*, id est, dilectus Filius meus in ea, *quia complacuit Domino in te, et terra tua inhabitabitur*. Habitabit enim juvenis in virgine, et habitabit in te Filius tuus; imo, si magis placet, ut non recedamus a verbis Scripturæ, *habitabunt in te filii tui* (*Isa. LXII, 4, 5*).

2. Quid, hæretice, caput erigis? quid mysterium pretatis ad occasionem perfidiæ rapis? Unum quidem genuit: qui sicut unicus est Patri in cælis, ita unicus est Matri in terris. Neque enim sicut tu impie blasphemias, alios postea filios genuit; sed inteme-

(11) In Offic. de Virginibus.

teguat umbra ejus (*Job. XL, 20, 17*); quia nimirum curæ et desideria sæcularia, quæ sunt in nobis, umbram nobis abscondunt imminenti damnationis, ut eam non prævideamus, donec in ipsam impingamus. Aspira, o dies dierum, obumbra supra caput nostrum in die belli, inclina super nos umbras salutis et refrigerii, et inclinentur subtus nos umbræ torporis et tædii, imo cæcitatibus et mortis. Et licet contingant nos umbræ de cogitatione terrenorum, non nos contegant tenebræ, id est, umbræ crassiores de amore eorum; sed semper respicemus in luminosum amorem tuum, o Pater luminum, qui vivis et regnas per omnia sæcula sæculorum. Amen.

B raturum manet, sicut signaculum perpetuæ virginitatis in matre, ita sacramentum catholicæ unitatis in prole. Ipsa tamen unica virgo Mater, quæ se Patris Unicum genuisse gloriatur, eundem unicum suum in omnibus membris ejus amplectitur, omniumque in quibus Christum suum formatum agnoscit, vel formari cognoscit, matrem se vocari non confunditur. Eva vetus illa, non tam mater quam novæ, quæ filiis ante propinavit præjudicium mortis, quam initium lucis. Dicta est quidem mater cunctorum viventium: sed inventa est verius interfectrix viventium, seu genitrix morientium; cum suum generare nihil aliud sit, quam mortem ingenerare (*Gen. III*). Et quia illa non potuit fideliter interpretari nomen suum, ista implevit mysterium: quæ et ipsa, sicut Ecclesia, cujus forma est, mater est omnium ad vitam renascentium. Mater siquidem est Vitæ qua vivunt universi; quam dum ex se genuit, nimirum omnes ex ea victuri sunt, quodammodo regeneravit. Unus generabatur, sed nos omnes generabamur: quia videlicet secundum rationem seminis, quo regeneratio fit, jam tunc in illo omnes eramus. Sicut enim in Adam fuimus ab initio propter semen carnalis generationis; sic in Christo ante initium, propter semen spiritualis regenerationis.

3. Porro beata Mater illa Christi, quia se matrem Christianorum cognoscit ratione mysterii; cura quoque se matrem eis præstat et affectu pietatis. Neque enim duratur ad filios, quasi non sint sui, cuius viscera semel quidem feta, sed nunquam effeta, nunquam desinunt fructum parturire pietatis. Benedictus siquidem fructus ventris tui, gravidam te, o pia Mater, inexhausta pietate reliquit; ex te quidem semel nascens, sed in te semper manens et affluens, et in horto concluso castitatis fontem signatum charitatis semper abundare faciens; qui licet signatus sit, foras tamen derivatur, et in plateis aquæ ejus nobis dividuntur. Licet namque fons charitatis, proprius Ecclesiæ, incommunicabilis sit alie-

nis, beneficium tamen ejus impertire gaudet etiam inimicis. Denique si servus Christi filios suos iterum atque iterum parturit cura atque desiderio pietatis, donec formetur in eis Christus (*Galat. IV, 19*); quanto magis ipsa Mater Christi? Et Paulus quidem genuit eos, verbum veritatis quo regenerati sunt prædicando: Maria autem longe divinius atque sanctius, Verbum ipsum generando. Laudo quidem in Paulo prædicationis mysterium, sed plus miror ac veneror in Maria generationis mysterium.

4. Vide autem si non et filii Matrem videntur agnoscere, dictante utique ipsis veluti quadam naturali pietate fidei, ut ad invocationem nominis ejus, primò vel maxime refugiant in omnibus necessitatibus et periculis, tanquam parvuli ad sinum matris. Unde nimirum de his filiis puto non absurde intelligi, quod per prophetam promissum est ei. *Habitabant in te filii tui* (*Isai. LXII, 5*); salvo duntaxat intellectu, quo de Ecclesia hæc prophetia principaliter accipitur. Et nunc siquidem habitamus in adiutorio Matris Altissimi, in protectione ipsius commoramur, tanquam sub umbra alarum ejus: et postmodum in consortio **1030** gloriæ ipsius, tanquam in sinu ipsius confovebimur. Tunc erit vox una lætantium et aggratulantium Matri: *Sicut lætantium omnium nostrum habitatio est in te* (*Psal. LXXXVI, 7*), sancta Dei Genitrix. Nullatenus autem credideris majoris esse felicitatis et gloriæ, habitare in sinu Abraham, quam in sinu Mariæ, cum thronum suum in ea posuerit Rex gloriæ.

5. *Veni, inquit, electa mea, et ponam in te thronum meum*. Non poterat signantius aut elegantius describi prærogativa gloriæ ejus, quam ut thronus Dei regnantis esse diceretur. Nulli siquidem animæ tanta plenitudine aut familiaritate copiam sui divina majestas videtur indulgere, sicut illi in qua specialiter præ cæteris residere delegerit. Discipulis quidem Dominus loquebatur, qui pauperes facti pauperem sequebantur: *In regeneratione, cum sederit Filius hominis in sede majestatis suæ, sedebitis et vos super sedes* (*Matth. XIX, 28*). Alibi quoque promittit idem Agonotheta noster, de cælo spectans et incitans decertantes: *Qui vicerit, inquit, dabo ei sedere mecum in throno meo, sicut et ego vici et sedi in throno Patris mei* (*Apoc. III, 21*). Matri vero, cujus longe differens est meritum, nihilominus differens promittit præmium. *Veni, inquit, electa mea, et ponam in te thronum meum*. Parum est, inquit, ut judicanti conseedas, nisi et ipsa mihi sedes fias: ut majestatem regnantis eo felicius quo familiarius in te contineas, et specialius præ cæteris incomprehensibilem comprehendas. Continuisti parvulum in gremio: continebis immensum in animo. Fuisti diversorum peregrinantis; eris palatium regnantis. Fuisti tabernaculum pugnaturi in mundo; eris solium triumphantis in cælo. Fuisti thalamus Sponsi incarnati; eris thronus Regis coronati.

6. O Filii Dei, nihil tibi, nihil in illo tuo displi-

cuit hospitio quod tam libenter repetit, tamque affluenter remunerat tua dignatio. Nihil utique in illo sordidum offendisti, quia nulla erat libido, sed purissima castitas: nihil ruinosum, quia nulla erat superbia, sed fundatissima humilitas: nihil obscurum, quia exclusa infidelitas: nihil angustum, quia diffusa erat charitas. Adornaverat thalamum Virgo prudentissima, te regem Christum non solum hospitem susceptura; sed et sponsum habitura. Adornaverat, inquam, multiplici decore virtutum et gloria, tanto fortasse locupletius, quanto interius totum erat. Hunc ornatum mirabatur qui dicebat, *Omnis gloria ejus filie regis ab intus, in fimbriis aureis, circumamicta varietate* (*Psal. XLIV, 14, 15*): et alius, *O quam pulchra est casta generatio cum charitate!* (*Sap. IV, 1*). Domum tuam decet Domine, hujusmodi sanctitudo et decor. Is decor te invitavit ut intrares: illexit, ut redires. Intrans benedictionis gratiam multiplicasti: sed rediens cumulasti. Cum intrasti, homo natus es in ea: cum redisti, Deus glorificatus es in ea. Tunc tibi posuisti in ea sacrarium gratiæ; nunc autem, thronum gloriæ.

7. Dicuntur quidem et sunt alii throni, quidam scilicet spiritus divini, præ aliis, ut putamus, subjectis ordinibus, Dei præsentis majestate pleni: quorum quæ sit prærogativa, Scriptura non exprimit, licet innuat ex vocabulo quod nonnulla sit. Sed et anima cujuslibet justi dicitur sedes sapientiæ. Quæ autem nunc est sedes sapientiæ, profecto tunc erit et gloriæ. Sit igitur illud cæli palatium plenum sedibus et thronis, sedeatque Deus in omnibus, accommodans se et aptans cuique pro meritis. Non immerito tamen creditur, sine injuria vel invidia cæterarum sedium quoddam esse speciale Regis solium excelsum et elevatum super gloriam omnium; Mariam dico exaltatam super choros Angelorum, ut nihil contempletur supra se Mater nisi Filium solum; nihil miretur supra se Regina nisi Regem solum; nihil veneretur supra se Mediatrix nostra nisi Mediatorem solum: cui nos ipsa precibus suis conciliet, commendet, et representet unico Filio suo Jesu Christo, cui est honor et gloria in sæcula sæculorum. Amen.

SERMO II.

De mutuo amore Jesu et Mariæ.

1. *Filiæ Jerusalem, nuntiate dilecto quia amore langueo* (*Cantic. V, 8*). Verba ista quæ a nobis hac nocte cantata sunt, qualiter ad Assumptionem beatiæ Mariæ possint videri pertinere, **1031** volumus, si placet, cum vestra charitate tractare. Id autem eo genere sermonis faciendum videtur, quo non modo sæcularium, sed etiam ecclesiasticarum auctores litterarum nonnunquam usi sunt, maxime in tractandis Canticis, unde hæc sunt sumpta. Hoc namque genus sermonis, salva veritate, quadam ampliori utitur libertate, cum videlicet sumpto themate causæ, ut beatus Hieronymus ait non tam loquitur quæ revera facta vel dicta sint, quam ejusmodi fuisse negotium ostendit, ut ea quæ dicun-